

plurima, quæ neque cogitassent quidem, nisi acres ingeniorum pulsus ardens in patriam amor accessisset. Ego in illo, qui interpretis partes explere vult, et bonâ fide suo sibi muneri, et lectoris utilitati servire, nihil magis desidero ac laudo, quàm veritatis amorem, et ejus indagandæ primum, et maximum studium, præsertim dùm in re sacrâ, atque omni religione venerabili commentario laborat. Quidam Ophir illam regionem esse putant, quæ trans Oceanum est ad plagam occidentalem, quam nostrâ ætate aperuerunt Hispani, vocâruntque *Peru*, et in Scripturâ sacrâ videre se putant illius nominis non obscura vestigia lib. 2 Paralipomenon cap. 3, v. 7, ubi pro eo, quod vulgatus legit: *Porrò aurum erat probatissimum*, in Hebræo est *parvain*. Neque desunt, qui Ophir Hispaniam esse credant, aut credere se dicant, putentque Ophir idem esse quod Tharsis, in quâ ipsi voce Hispaniam agnoscunt.

Ego hic dicam quod magis videtur, et verbis ipsis, et rerum naturæ consentaneum, quod in re conjecturali spectare debet, qui veritatem capiat, et non vult aliis se nimis in credendo facilem ostendere, et sententiam suam minùs esse dignam, cui habeatur fides, cum levibus non tam innitantur fundamentis, quàm inanibus fundamentorum umbris. Ego hic neque Peruanam regionem, ut maximè cupiam, videre possum, et multò minùs Hispaniam, libentiùs hic agnosco Indici, atque Orientalis maris littora, aut insulas, quæ non longè ab Indico mari recesserunt. In illâ enim orientali plagâ (id habeo pro meâ cogitatione) quæ non admodùm distat à mari Rubro, unde classis solvit Salomonis. Deinde quia in illâ regione reperiuntur omnia, quæ in eâ classe ad Salomonem allata esse dicuntur, aurum, ebur, aromata, gemmæ, ligna odorata, quibus regio abundat orientalis: neque ex Peruanâ regione horum aliqua nisi rarè ac modicè comportari audimus. Deinde quia neque Salomonis ætate, neque multis post seculis explorata fuit à quocumque illa regio; imò multi existimârunt, etiamsi sub illâ cœli plagâ temperatâ, comoda esse posset hominum habitatio, tamen nondùm habitata esse, quia interjecta zona, quæ ab ardore dicitur torrida, aditum ad ulteriora præcluderet. At si Salomon illam tentasset, felicique cursu navigationem confecisset, quis ignoraret habitata esse regionem illam, et tractum illum Oceani navibus esse permeabilem? Adde quòd navigia, quibus olim utebantur Phœnices et Tyrii, non erant ejus-

modi, ut ferre possent aut molem fluctuum, quos suscitât Oceanus, aut conficere tantùm spatii, quantum ex mari Rubro ad oram usque Peruanam extenditur: possent tamen oras legere Indici maris, cum non longè sese subducerent à terrâ. Deinde quia Phœnices, seu Tyrii nautæ marinos cursus dirigunt, non quidem ab admirabili naturâ magnetis adjuti, quæ vel tunc nota non erat, ut est meo judicio verisimilius (neque enim, opinor, illius tam necessarium usum abjecissent Phœnices, quorum in mari præcipuum fuit opus, et quæstuosum maximè, neque usus ille admirabilis ab scriptoribus de rerum naturis omissus esset); vel si nota, certè non videtur illis in usu fuisse, quando marinos cursus ad Cynosuram, seu minorem Ursam moderantur, quod tradiderunt longè post hæc tempora non pauci. Sic Ovidius:

*Esse duas Arctos, quarum Cynosura notatur  
Sidoniis, Elicem Graia carina notat.*

Et iterùm:

*Magna minorque feræ, quarum regit altera  
Graiias,*

*Altera Sidonias, utraque sicca, rates.*

At si ex Rubro mari ad Peruanam regionem, sive, ut non nemo excogitavit, Hispaniam Phœnices nautæ navigationem instituissent, necesse fuit, ut in medio cursu, ubi æquinoctialem trajecissent lineam, Cynosura deficeret, et cæci errarent, raperenturque quocumque illos venti, aut fortuna raperet. Sed demus recto et facili cursu longam illam viam potuisse confici, certè Salomonis prudentiæ non fuit cum tanto temporum, expensarumque dispendio, viam illam tentare et ignotam, et longam, cum quæstus esset paratus in propinquiori, et minùs periculoso loco.

Ex his rebus in quæstione obscurâ conjecturæ sumuntur. Hæc verò mihi usque ad eò sunt graves, ut nullum in oppositâ sententiâ putem esse pondus, mirerque illam alicui prudenti viro probari potuisse. Sed quod efficere ratio non potuit, fecit, ut dixit ex profanis quidam,

*Dulcis amor patriæ ratione valentior omni.*

Est itaque Ophir in regione orientali, neque, ut reor, procul à mari Rubro, unde hæc omnia, quæ ad Salomonem adducebantur, adducunt singulis annis in Hispaniam Lusitanæ naves. Neque video, quid hanc communem, antiquamque sententiam aut admodùm præmat, aut solutionem desideret; si quid verò fuerit, suis postea locis commentatio dissolvat.

## CAPUT X.

1. Sed et regina Saba, auditâ famâ Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.

3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat; non fuit sermo qui regem posset latere, et non responderet ei:

4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat,

5. Et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum,

6. Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audivi in terrâ meâ

7. Super sermonibus tuis et super sapientiâ tuâ; et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quòd media pars mihi nuntiata non fuerit; major est sapientiâ et opera tua quàm rumor quem audivi.

8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam!

9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eò quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut judicium faceres et justitiam!

10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri et aromata multa nimis et gemmas pretiosas; non sunt allata ultra aromata tam multa quàm ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

11. (Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis et gemmas pretiosas.

12. Fecitque rex de lignis thyinis fulera domûs Domini et domûs regis, et citharas lyrasque cantoribus. Non sunt allata hu-

## CHAPITRE X.

1. La reine de Saba même, sur la réputation de tout ce que Salomon avait fait au nom du Seigneur, vint pour en faire expérience par des énigmes.

2. Et étant entrée dans Jérusalem avec une grande suite et un riche équipage, avec des chameaux qui portaient des aromates et une quantité infinie d'or et des pierres précieuses, elle se présenta devant le roi Salomon, et lui découvrit tout ce qu'elle avait dans le cœur.

3. Salomon l'instruisit sur toutes les choses qu'elle lui avait proposées, et il n'y en eut aucune que le roi ignorât et sur laquelle il ne la satisfît par ses réponses.

4. Or, la reine de Saba voyant toute la sagesse de Salomon, la maison qu'il avait bâtie,

5. La manière dont sa table était servie, les appartements de ses officiers, les diverses classes de ceux qui le servaient, la magnificence de leurs habits, ses échansons, et les holocaustes qu'il offrait dans la maison du Seigneur, fut ravie en admiration;

6. Et elle dit au roi: Ce qu'on m'avait rapporté dans mon royaume

7. De vos entretiens et de votre sagesse était véritable, et je ne croyais pas néanmoins ce qu'on m'en disait, jusqu'à ce que je sois venue moi-même et que je l'aie vu de mes propres yeux; et j'ai reconnu que la moitié de ce qui est ne m'avait pas été annoncé. Votre sagesse et vos œuvres sont au-dessus de tout ce que j'ai appris par la renommée.

8. Heureux ceux qui sont à vous! heureux vos serviteurs, qui jouissent toujours de votre présence et qui écoutent votre sagesse!

9. Béni soit le Seigneur votre Dieu, qui a mis son affection en vous, qui vous a fait asseoir sur le trône d'Israël, parce qu'il a aimé Israël pour jamais, et qui vous a établi roi pour régner avec équité et pour rendre la justice.

10. La reine de Saba donna ensuite au roi cent vingt talents d'or; une quantité infinie de parfums et de pierres précieuses. On n'a jamais apporté depuis à Jérusalem tant de parfums que la reine de Saba en donna au roi Salomon.

11. (La flotte d'Hiram, qui apportait l'or d'Ophir, apporta aussi de ce pays une quantité de bois odorants et des pierres précieuses.

12. Et le roi fit faire de ces bois rares les balustres de la maison du Seigneur et de la maison du roi, des harpes et des lyres pour les

juscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.)

13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo, exceptis his quæ ultrò obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis.

14. Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri,

15. Excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores universique scruta vendentes, et omnes reges Arabiæ ducesque terræ.

16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo (sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius);

17. Et trecentas peltas ex auro probato (trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant); posuitque eas rex in domo Saltûs Libani.

18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis

19. Qui habebat sex gradus; et summitas throni rotunda erat in parte posteriori, et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant juxta manus singulas;

20. Et duodecim leuenui stantes super sex gradus hinc atque inde; non est factum tale opus in universis regnis.

21. Sed et omnia vasa quibus potabat rex Salomon erant aurea, et universa suppellex domûs Saltûs Libani de auro purissimo; non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis,

22. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum et dentes elephantorum et simias et pavos.

23. Magnificatus est ergo rex Salomon, super omnes reges terræ, divitiis et sapientiâ.

24. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis ut audiret sapientiam ejus quam dederat Deus in corde ejus.

25. Et singuli deferebant ei munera,

musiciens. On n'apporta et on ne vit jamais de cette sorte de bois jusqu'à ce jour.)

13. Le roi Salomon de son côté donna à la reine de Saba tout ce qu'elle désira et ce qu'elle lui demanda, outre les présents qu'il lui fit de lui-même avec une magnificence royale et qui surpassèrent ceux qu'elle avait apportés. Et la reine s'en retourna, et s'en alla en son royaume avec ses serviteurs.

14. Le poids de l'or qu'on apportait à Salomon chaque année était de six cent soixante-six talents d'or,

15. Sans compter ce que lui apportaient ceux qui avaient l'intendance des tributs, les gens de trafic, les marchands de choses curieuses, tous les rois de l'Arabie et tous les gouverneurs du pays.

16. Le roi Salomon fit aussi deux cents boucliers d'un or très-pur; il donna pour chaque bouclier six cents sicles d'or.

17. Il fit aussi trois cents autres boucliers d'un or éprouvé beaucoup plus massifs que les premiers, car chacun de ces boucliers était revêtu de trois cents mines d'or; et le roi les mit dans la maison du Bois-du-Liban.

18. Le roi Salomon fit de plus un grand trône d'ivoire qu'il revêtit d'un or très-pur.

19. Ce trône avait six degrés; le marchepied était d'or; le haut était rond par derrière; et deux mains tenaient le siège des deux côtés, et deux lions étaient auprès des deux mains.

20. Il y avait douze lionceaux sur les six degrés, six d'un côté et six de l'autre. Il ne s'est jamais fait un si bel ouvrage dans tous les royaumes du monde.

21. Tous les vases où le roi Salomon buvait étaient aussi d'or, et toute la vaisselle de la maison du Bois-du-Liban était d'un or très-pur. L'argent n'était plus considéré; il était si commun sous le règne de Salomon qu'on n'en tenait aucun compte,

22. Parce que sa flotte, avec celle du roi Hiram, faisait voile de trois ans en trois ans, et allait en Tharsis, d'où elle rapportait de l'or, de l'argent, des dents d'éléphant, des singes et des paons.

23. Le roi Salomon surpassa donc tous les rois du monde en richesses et en sagesse.

24. Et toute la terre désirait de voir le visage de Salomon, pour écouter la sagesse que Dieu lui avait répandue dans le cœur.

25. Et chacun lui envoyait tous les ans des

vasa argentea et aurea, vestes et armabellica, aromata quoque, et equos et mulos, per annos singulos.

26. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus et duodecim millia equitum; et disposuit eos per civitates munitas et cum rege in Jerusalem.

27. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem quanta et lapidum; et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus.

28. Et educebantur equi Salomoni de Egypto et de Coâ; negotiatores enim regis emebant de Coâ, et statuto pretio perducebant.

29. Egrediebatur autem quadriga ex Egypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venundabant.

VERS. 1. — SED ET REGINA SABA, AUDITA FAMA SALOMONIS, IN NOMINE DOMINI VENIT TENTARE EUM IN ENIGMATIBUS (1). Commodè hic inducitur

(1) Allegor., sicut regina Saba ex Æthiopiâ venit ad Salomonem, ut ab eo disceret sapientiam, sic Ecclesia è gentibus venit ad Christum, ut hauriret scientiam salutis. Ita Eucherius, Angelomus, Beda et S. Bernard. serm. 22 in Cantica; S. Ambros. lib. 2 Offic. cap. 10; S. Gregorius in Psal. 7 Pœnit. vers. 7; Prosper. lib. 2 de Prædict. c. 27. Idem satis insinuat Christus dicens, Matth. 12: *Regina Austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plusquam Salomon hic.* Vide præ cæteris Eucherium lib. 3 in libros Regum, ante finem. Imò Hebræi in *Berescit Rabba*, id est, in Genesi magnâ, ad illud cap. 25, 6: *Emisit eos ad orientalem plagam*, censent reginam hanc venisse ad Salomonem, eò quòd ex famâ tantæ sapientiæ et virtutum ejusdem, suspicaretur ipsum esse Messiam sive Christum, idque significare *et, in nomine Dei venit*, etc.; ita refert Galatinus lib. 8, cap. 3.

(Corn. à Lap.)  
« La reine de Saba, dit Voltaire, qui vient proposer des énigmes à Salomon; et qui lui fait un petit présent de seize millions huit cent mille livres de France, est bien une autre dame que l'impératrice de Russie. Le dixième de tout cet argent appartient aux prêtres. On cherche le royaume de Saba, il est sans doute dans le pays d'Utopie. Est-ce ignorance? est-ce effronterie? est-ce délire? c'est tout cela ensemble. L'antiquité sacrée et profane parle continuellement du pays de Saba et des Sabéens qu'elle place en Arabie, près de Regma sur le golfe Persique. C'est ce qu'on

présents, des vases d'argent et d'or, des étoffes précieuses, des armes, des parfums, des chevaux et des mulets.

26. Et Salomon amassa un grand nombre de chariots et de gens de cheval, il eut mille quatre cents chariots, douze mille hommes de cavalerie; et il les distribua dans les villes fortes, et en retint une partie pour être près de sa personne dans Jérusalem.

27. Il fit que l'argent devint aussi commun à Jérusalem que les pierres, et qu'on y vit autant de cèdres que de ces sycomores qui naissent dans la campagne.

28. On faisait venir aussi de l'Egypte et de Coa des chevaux pour Salomon; car ceux qui trafiquaient pour le roi les achetaient à Coa, et les lui amenaient pour un prix arrêté.

29. On lui amenait un attelage de quatre chevaux d'Egypte pour six cents sicles d'argent, et un cheval pour cent cinquante. Et tous les rois des Héthéens et de Syrie lui vendaient ainsi des chevaux.

## COMMENTARIUM.

adventus reginæ hujus: nam cum actum esse de Salomonis opibus, neque parum è patriis vernaculisque divitiis oblatum ab hac reginâ, ab hoc rerum articulo illius adventus separari non debuit. Quæ porrò fuerit hæc regina, et unde profecta, res est obscura, et variè à variis exagitata; quid de illâ alii existimarent, quorum incerta pleraque, dicemus minùs quàm alii diffusè; curabimus tamen, quantum fieri poterit, ne quid aliquis necessarium requirat.

lit dans la Genèse, dans le livre de Job, dans Isaïe, dans le psaume 71, dans Ezéchiel, dans Diodore de Sicile, dans Virgile, dans Ptolémée, dans Plin: *Point de peuples*, dit ce dernier, qui soient plus riches que les Sabéens et que les Gethéens.

Quel rapport a ce trait de l'histoire sacrée avec l'impératrice de Russie, dont les vastes états fournissent de belles fourrures? La reine de Saba trouvait dans les siens en abondance l'or, les pierreries, les parfums, dont elle faisait des présents.

« Un petit présent de seize millions huit cent mille livres! » Les 120 talents d'or dont la reine de Saba fit présent à Salomon, si c'étaient des talents de poids, auraient fait quatorze millions trente et un mille trois cent soixante-une livre au titre de Paris; mais si c'étaient des talents de compte, l'évaluation du critique serait doublement fautive.

Il n'y avait aucune loi chez les Hébreux, qui assujettit à la dime l'or et l'argent dont on faisait des présents. { Duclot.

De nomine varia est auctorum cogitatio, et ipsa varietas facit, ne quid certum à quoquam affirmari possit. Josephus lib. 8, cap. 2, *Nicaulem* appellat. Herodotus lib. 2, *Nitocrim*, alii *Makedam*, in quibus est Genebrardus in Chronicis ad annum mundi 3150. Quod si verum est, (quod nonnulli putant, faventque verba Christi, qui Matth. 12, et Luc. 11, illam reginam appellat Austri) illam fuisse reginam Æthiopiæ, cui illa regina longo post tempore successit, quæ Actor. 8, Candace dicitur, verisimile est illam quoque vocatam esse Candacem, non quidem proprio, sed communi vocabulo. Quemadmodum enim Ægyptii reges dicuntur *Pharaones*, Romani *Cæsares*; sic etiam Æthiopiæ reginas appellari *Candaces*, tradit Plinius lib. 6, cap. 29, dum ait, « in Meroe regnare feminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas transit. » Sed de patriâ ac regno mox.

De hujus reginæ religione ac fide non eadem est omnium opinatio. Quidam barbaram putant, et gentilem, quæ de vero Deo nullam habuerit cognitionem, aut ita certè tenuem, ut illam ex gentilicâ professione, ac cultu non deduxerit. Sic sanè putat Chrysostomus Homil. 31, in cap. 12 Matth.; Hilarius in Psal. 121, ad illud: *Ad confitendum nomini Domini*; Nyssenus Homil. 7 in Cant.; Isidorus in Allegoriis 3 Reg.; Rupertus in lib. 3 Reg. cap. 3, ancillam appellat diaboli. Alii de eâ mitius et honestius loquuntur, ut Theodoretus in 3 Reg. q. 32; Ambrosius in Lucam cap. 11, Abulens. hic quæst. 3. Ego sic puto reginam hanc antequam Hierosolymam venisset, gentilicis fuisse contaminatam institutis ac moribus, et idolorum, sicut alios omnes ex eadem regione addictam esse sacris. At postquam Judæorum religionem et sacra ex Salomonis consuetudine cognovit, mutasse animum, et melius de suæ vitæ instituto ac moribus cogitasse, quod patebit magis, cum ventum fuerit ad explanationem illius: *In nomine Domini*, de quo statim.

De Saba, id est, de regione, ubi hæc femina dominata fuit, non est inter auctores magis expedita quæstio. Quidam in Æthiopiâ regnasse existimant, neque hi pauci sunt, aut ignobiles, et facit quòd hæc femina venisse dicitur ab Austro, Matth. cap. 12. At nemo ignorat Æthiopiâ australem esse provinciam. Alii in Arabiâ Felice regnum ejus statuunt, quod visum est Hieronymo in cap. 60 Isaïæ, ubi dicit ex eadem regione Magos et hanc reginam fuisse profectos. In Traditionibus idem

Hebraicis in cap. 10 Gen. duas ejusdem nominis provincias esse dicit, licet cum aliqua differentiâ, altera Saba per  $\square$ , et hæc ad Æthiopiâ pertinet, quia à filio Chus, à quo nomen sumpsit, Æthiopiâ habitata est. Altera Saba per  $\psi$ , à quâ et Magi, et regina venisse dicuntur. In hanc ego cogitationem magis inclino, licet aliam non putem improbabilem, tum quia  $\psi$  Saba cum  $\psi$ , Arabiæ accommodari potius video, quàm Æthiopiæ, ut Psal. 71: *Reges Arabum, et Saba*. Priori loco est  $\psi$ , quæ vox regionem aliquam significare videtur in Arabiâ, quæ multò latius patet, quàm Saba, quia sæpè cum aliis regionibus conjungitur, quas nemo negat aut esse in Arabiâ, aut Arabiæ proximas. Job cap. 6, v. 19,  $\psi$  cum Themam, Isaïas cap. 6, v. 6 et 7, cum Madian, Ephra, Cedar et Nabajoth, conjungit, quæ partes sunt Arabiæ. Et quidem nemo dubitat Sabæos, qui Job armenta deprædati sunt, vicinos esse Arabibus: at illi cum  $\psi$ , notati sunt. Et Jeremiæ cap. 6, v. 20, thus cum  $\psi$  conjungit, at thus vernaculus est Arabiæ, non Æthiopiæ proventus. Et quidem sicut hoc ipso anno ex litteris accepimus Patris Petri Pauli ex nostrâ societate, qui diù, rei christianæ gratiâ, in eâ Æthiopiâ commoratus est, quæ est ad sinum Arabicum, et nunc etiam ibi cum magno suo labore ac fructu non vulgari versatur, prope sinum Arabicum civitas ab indigenis ostenditur, in quâ nata creditur regina Saba, de quâ hic longus sermo. Scio esse aliquos, qui contra sentiant, sed neque desunt alii, neque pauci, neque vulgaris notæ, quos horum cogitationi opponam. Accedit quòd tam ea, quæ attulerunt Magi, quàm quæ attulisse dicitur regina Saba, illi Christo infanti, hæc Salomoni regi, fructus fuerunt Arabiæ vernaculi, quales ex Æthiopiâ non exportantur. Licet autem hæc Arabia ad orientalem plagam spectet, quia tamen ad australem quoque partem inclinat, australis quoque vocari potest. Atque ideò à Christo, Matth. 12, et Luc. 11, regina vocatur Austri. Sanè Arabia ab scriptoribus, Meridionalis vocatur. Herodotus lib. 3: *Ad meridiem ultima è regionibus, quæ habitantur, Arabia est, in quâ solâ omnium nascuntur thus, myrrha, casia, cinnamomum, et ledamum, etc.* Hæc ferè omnia Diodorus Siculus lib. 3, cap. 12, ubi metallorum et lapidum pretiosorum feracem vocat. Ex quibus tria habemus, quæ nostram sententiam valdè confirmant, nempe gemmarum, metallorum et aromatum regionem illam esse feracem, quo-

rum regina ad Salomonem magnam adduxit copiam, et esse regionem meridionalem, aut australem, et esse in finibus terræ, quod Christus Matth. capite 12, dixit, cum reginam Austri ab ultimis terræ finibus venisse affirmat. Hæc à nonnullis Æthiopiâ vocatur. Quòd autem duæ sint Æthiopiæ, altera trans Ægyptum, altera terræ promissionis vicinior, diximus in nostris Commentariis ad illud Psalm. 67: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*.

IN NOMINE DOMINI. Quidam illud, in nomine Domini, sic explicant, ut Dei nomen jam ad gentilicos, atque longinquos terminos diffusum, quod tantoperè in Salomonis templo, id est, in totius mundi augustissimo sacrario celebrari audierat, ipsam adduxerit, ut longam illam peregrinationem suscepit. Quòd autem in, idem aliquando valeat, quod propter, multa docent exempla, quorum nos aliqua adduximus in nostris commentariis super Jeremiam, ad illud cap. 33: *Turbabuntur in universis bonis, etc.*; et latius super Oseam ad illud cap. 12: *Servivit Israel in uxorem*, id est, propter uxorem. Sed hanc cogitationem ipse Scripturæ sacræ textus evertit, quæ alias causas hujus profectionis diversas assignat. Dum ait excitatam reginam Salomonis famâ, quam ad illam usque regionem rumor attulerat, eò destinasse profectionem, ut illius sapientiam variorum ænigmatum propositione tentaret, et clarius optimus interpres Christus Matth. 12, et Luc. 11, dum ait, reginam Austri ex ultimis terræ finibus venisse, ut audiret sapientiam Salomonis. Hoc autem non tam est Deum, quàm Salomonem querere. Ego illud, in nomine Domini, sic accipio, vel venisse reginam Deo benè juvante, quod secundus rerum eventus ostendit, vel, quòd potius reor, Deo inspirante atque auspice; cum tamen ipsa de Deo cogitaret nihil, longam illam peregrinationem suscepisse. Quòd indicant omnes, qui illam idololatridem esse putant qui sanè pauci non sunt, ut antè diximus; ducebat itaque Deus illam, agebatque nescientem, sicut alios sæpè, et cum solutiones tantum gryphorum, aut ænigmatum quæreret, neque altiùs curiosam attolleret mentem, Deus tamen id agebat occultius, ut à Salomone, quem celestibus disciplinis impleverat, et à templo, in quo solemnes quotidie victimas immolari cerneret, verum Deum agnosceret, et gentem sibi subditam studiis veræ religionis imbueret.

IN ENIGMATIBUS. Ænigmata sunt obscuræ quæstiones, quibus aliorum ingenium explo-

ramus. Usitatum porrò inter principes olim, ut se hujusmodi quæstionibus ultrò lacescerent, probat illud, quod si fabulam olet, sumptum tamen videtur ex frequenti principum consuetudine; quòd attextum est Æsopi fabellis, ubi reges inducuntur, qui proposito soluti problematis præmio ad ingeniosum illud certamen provocantur. Quòd faciunt sæpè viri sapientes, qui sua convivia non minùs dapsilibus cibis, quàm ingeniosis quæstionibus instruunt et exhilarant. Unde orta sunt doctorum hominum celebrata symposia. Quòd etiam usitatum inter Hebræos suadet illud problema, quòd Judicium 14, in nuptiali convivio à Samsone propositum, *de comedenti exivit cibus*. Hoc ipsum de Salomone tradit Josephus lib. 8, cap. 2, ubi ab Hiram proposita fuisse dicit ænigmata Salomoni. « Quæstiones, inquit, etiam ænigmaticas Tyrius rex ad Salomonem transmisit, rogans ut eas explicaret, et dubitationem sibi omnem eximeret. At ille callens hujusmodi rerum ac naturâ prudentissimus nihil inexplicatum relinquebat. » Deinde ex quodam Dio antiquo scriptore refert Salomonem ad Hiram ænigmata misisse, solutionem illorum postulantem, quòd cum ille non valuisset, magnâ pecuniâ multatum esse. Venit igitur è regione suâ regina Saba ænigmaticis instructa quæstionibus, ut exploraret an tantum in Salomone ingenii foret atque sapientiæ, quantum acceperat à rumore nuntio, et ut suis videret oculis, quòd tam effusis laudibus fama vulgaverat.

VERS. 2. — ET INGRESSA JERUSALEM MULTO CUM COMITATU ET DIVITIIS, etc. Necessarium erat, et decebat certè regiam majestatem, et nomen magno stipari rerum ac personarum apparatu: tum ne despiceretur apud extraneos, quibus peregrini habitus, et mores solent esse ludibrio; tum ne quid in transmissione illâ longâ, neque satis expeditâ, ac tutâ adversi contingeret. Attulit autem secum ad Salomonem ea, quorum erat proventus in eâ regione vernaculus.

ET DŌCUIV EAM SALOMON, ETC., ET NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM. Hæc omnia obscura non sunt. Nihil aut cogitârat regina secum, non habens satis, ut apparet ingenii, aut à viris in suâ regione sapientibus acceperat, in quibus aliquis esset nodus, aut scirpus, quem non statim acutè, verèque dissolverit. Cùmque ad hæc accederent alia, quæ mirè Salomonis ingenium et prudentiam ostenderent, domesticus